

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Humilitas r
cum fonte primo

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.

Aliter olet flos uee, quia magna est uirtus et opinio predictorum,
qui inebriant mentes audiencium,
aliter flos oliue quia suaue est opus misericordie, quod refouet et lucet,
aliter flos rose quia mira est fragrancia, que rutilat et redolet ex cruore martirum,
aliter flos lilii quia candida uita carnis de incorrupcione uirginitatis,
aliter flos uiole quia uirtus humilium,
qui ultima loca tenentes per humilitatem se a terra in altum non subleuant,
et celestis regni purpuram in mente seruant,
aliter redolet spica cum ad maturitatem perducitur,
quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum,
qui esuriunt iusticiam preparatur.

Gregorius super Iozechilem.

Sicut enim in Euangilio Veritas dicit: *Ager est hic mundus*,
et quia gentilis populus ad fidem perductus per electos suos in uniuerso mundo uirtutibus redolet,
odor filii odor est agri pleni.

Aliter namque olet flos ueuae, quia magna est uirtus et opinio praedicatorum
quae debriant mentes audientium,
aliter flos oliuae, quia suaue est opus misericordiae quod more olei refouet et lucet,
aliter flos rosae, quia mira est fragrantia quae rutilat et redolet ex cruore martyrum,
aliter flos lilii, quia candida uita carnis est de incorruptione uirginitatis,
aliter flos uiolae, quia magna est uirtus humilium,
qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non subleuant,
et caelestis regni purpuram in mente seruant,
aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur,
quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum
qui iustitiam esuriunt praeparatur.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechilem prophetam*, 1.6.3-4 (CCSL 142, M. Adriaen ed.,
p.69, ll.66-81).